Przewoski Francisci: Immortalis munificentia Andreae Olszowski, Episcopi Culmensis et Pomesaniae.

IMMORTALIS MVNIFICENTIA

ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI,

D. ANDREÆ DE OLSZOWA OLSZOWSKI

Dei & Sedis Apostolicæ Gratiâ

EPISCOPI CVLMENSIS & Pomesaniæ

Regni Poloniæ PROCANCELLARII,

Abbatiæ Andreiouiensis Administratoris Perpetui:

DVM

Bibliotheca Vniuersitatis Cracoviensis

Cum Solenni applausu

RARO EXEMPLO

Communi Musarum Alumnorum Vsui

APERIRETVR.

Anno Incarnati Verbi 1671. Die 13. Maii

celebrata.

CRACOVIÆ,

Apud M. IACOBUM MOŚCICKI S.R.M. Typ.

IN GENTILITIVM INSIGNE.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI.



Victrices numerabit Iagellonia Pallas
Palmas, innitens FALCIBUS atq; Cruci
OLSZOVII, cui de fortuna, prospera messis,
In fructum patriæ, grandeq; subsidium.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO,

D. ANDREÆ OLSZOWSKI.

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CVLMENSI, & Pomesaniæ,

Regni Poloniæ PROCANCELLARIO &c.

Domino Mecœnati ac Patrono Munificentissimo.

PVdor & Reuerentia Tui Magni, inter Nomina Poloniarum Oraculi, exilem suadelam meã, inter Vmbras Palladias morabatur: ne protinus ILLVSTRISSIMO TVO obtutui sisteretur, quæ pridẽ Tuam incurrere censuram ambiebat, ILLVSTISSIME ANTISTES. Erubescebat nimirum inconditã, incomptamuè for-

formam ſuam, cultiſsimo inter Oratores, Sapientiſsimo inter Senatores Oratori, Senatoriq; conſiderandam exponere. Reuerebatur illam Maieſtatem Tuam, quam Summi in terris mortalium Pontifices, Auguſtiſsimi Cæſares, Sereniſsimi Reges amant intenſiùs, obſeruãt impenſiùs, extollunt decentiùs, grauem felicitatem, ſingulares virtutes, veluti gemmas & adamantes in annulo penitus aduertentes. Vicit nihilominus pudorem, obligata Tibi æternùm gratitudo Academica, timorem, pronus in Tuum ampliſsimum honorem affectus. Dabis igitur veniam ILLVSTRISSIME PRÆSVL Sinceritati Academicæ quæ ſuos Tibi abditos propalando affectus, Magnum Nomen Tuum, cum modica hac ſuada aggreditur, veneraturq; vt maximum, rebus ſuis compreſsis aucupetur ſolamen & fulcimẽtum: id poſcit, id precatur.

ILLVSTRISSIMÆ ac REVERENDISSIMÆ

DOMINATI: TVÆ.

Supplex Encomiaſtes,

M. FRANCISCVS PRZEWOSKI,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctor, Collega Maior.

ORATIO

Optimi mortalium non minùs altißima, quàm immortalitatem cupiunt: A.A: nec aliud insatiabiliùs parant, quàm perennem & prosperam sui memoriam, cum cætera sibi statim adsint; atq; nullum ad præclara facinorâ magnis mentibus efficacius calcar est, præter Nominis æternitatem, quâ vitæ labilis breuitas, & modicus tractus creditur resarciri, memoria inter posteros firmata abundè comparari, decus, famæ cuius desiderio virtutes ipsæ desiderantur, non dubiè acquiri, teneriq;: Benè quocirca ac sapienter Romanus Orator: Trahimur omnes æternæ laudis studio, & optimus quisq; maximè gloriâ ducitur. Ecquod porro excelsi animi indicium prominere consueuit præter contemptum vitæ præsentis, & solicitam curam, anxiam mentem, indefessum conatum circa adipiscendam gloriam nunquam morituram? Multis equidem gradibus, distinctis pasibus, ad tantæ felicitatis fastigium properatur, & ascenditur: hi cum cruento Marte per strata hostium cadauera, subiugataque regna in eam feruntur, vel ferri satagunt altitudinem: illi molliori tramite per congestas auidiùs fortunas, per fastum & tumentes spiritus, per fumosas maiorum ceras, & per indignam in absentia virtutum, dignitatum ambitionem, ad similem verticem pertinaciùs nituntur: quorum omnium seu prudens studium, vt Herculis & Achillis apud Græcos, Quirini apud Romanos:

nos: seu insana imprudensúe Heliogabali, Herostrati, Libonis, Mindyridis contentio, arrideant cæteris: mihi fas interea sit, benèq; sufficiat in reseranda hodie Sapientia Academica, per inauditam in Oris Sarmaticis munificentiam ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI, D. ANDREÆ OLSZOWSKI EPISCOPI CULMENSIS, Regniq; Poloniarum PROCANCELLARII inter meritos Dignissimi: fas inquam sit, in aperienda Bibliotheca Almæ Vniuersitatis Nostræ, approbare, solam in literis munificentiam, indeuium iter esse ad immortalitatem certè capessendam. Vos igitur literarum, & per has, immortalitatis Studiosi Auditores, date ad præsens aurem benevolam dicturo, & grande NOMEN OLSZOVIANVM celebraturo.

Principes instar Deorum, à mortalium conditione exemptos, inter vel vltra ipsa resedisse astra, quanquam alta sapientiæ oracula confirmant affatim, res tamen docere luculenter non intermittit. Enimverò sublimis eorum Maiestas ac potestas, ingens splendor, & penetrans animos, etiam de longinquo venientium horror, accessus, aditusq; non omnino patens, & armata circumstantium multitudo, quid nisi Diuinum & quoddam immortalis generis, ostentat argumentum? quid nisi diuisum vniuscuiusq; Principis imperium cum Ioue, loquitur? Hinc Romani & Græci vix homines à Dijs distinguentes, imò cum diuinis mortalia confundentes, Regibus & Imperatoribus suis diuinos adstruebant titulos, diuinos & honores, victimas, suos per Flamines, ritu solenni litando, delubra opere magnifico, sumptibus publicis, & assensu, artificio non vulgari, nomini eorum decoriq; construendo. Hinc Magnum Macedonem ab Ioue Ammonio, Romulum à Marte bellatore, hoc est immortali

li de genere natos prognatosuè, & fictæ insertos diuinitati, passim Poëtæ, Marones, Horatij, Nasones; tum Historici Liuij, Taciti, Flori, Curtij alijq; noua & antiqua memorantes, more assentantium referunt copiosè, tanto cum fidei dispendio, quanto cum assentationis studio. Exstinctis enim illis, quibus hæc sacra condebantur, veritas nulla, diuini eorum commercij illuxit superstitibus, immo post ementitam apotheosim, rogus vel tumulus mortales in fide mortalium adstruebat. Neq; tamen pleriq; vel toti illustres animi ad sepulchrum & cineres per fata truduntur, deijciunturq;: magnam sanè partem eorum, idem Sarcophagus comprehendere, idem fatalis lapis obruere non valet. Veniunt veniuntque multi, aut pauci in firmam immortalitatis possessionem, nec alio tutiori tramite, ampliori itinere, securiori viâ, nisi illâ solâ, quam aperuit, patefecit, triuitq; sibi larga multùm & munifica dextera. Hanc ad æternum nomen, hanc ad quandam diuinitatem participatam, Ducem infallibilem quis negabit? hanc legitimam apotheosim, quâ non tantum post rogum & cineres, sed ante supremum diem in vita nimirum, in sua maiestate fulgentes donantur & accumulantur Principes virtutibus viri. Quo tamen illi tempore, quâ ætate, quo lustro magis digni Deorum immortalium loco habentur? quam cum literatis largam aperiunt dexteram. Deus immortalis est, Sapientia est, amat sapientiam & fauet maximè sapientibus. Ad Deum vtiq; accedunt proximè sapientiæ Fautores, Protectores, Mecænates. At quomodo? & quibus gradibus? benefaciendo literis: his porro medijs, ardore famæ nullatenus emorituræ passim æstuans aliquis æternùm clarescere, æternùm à posthumis memorari, celebrari, diuinitati adnecti fir-

miter poteſt. Hectora quis noſſet hodie? niſi erudito Pöetarum & Hiſtoricorum calamo non morietium per famam, ordini fuiſſet illatus. Impiger, magnanimuſq; Achilles ruderibus dirutæ Troiæ obrutus, in poſtera delituiſſet obliuione, niſi eum doctæ Camænæ non inſipientis Homeri á mortalitate vindicatum, donâſſent immortalitate, ad cæterorum vſq; inuidiam heroum, vel propterea ad ſuum tumulum illachrimantium, quòd tantum præconem ſuorum præclarè geſtorum nactus fuiſſet. O ſtupendam literarum pennam! quæ præclara illuſtrium virorum facinora, non ad aſtra modo fert, ſed effert ad ipſam diuinitatem, an æternitatem? Felix ſanè! beatus ſanè! dubio procul, adulatione procul, cui tanti per munificentiam obuenêre, ad decus perenne baiuli. Felix quod in letheis vndis nunquam demergetur: Beatus quod euaneſcentem ſupergreſſus vitam, æterna cenſebit luſtra. Neque verò tántæ felicitatis Noſtra ætas ſterilis eſt, vel in vnico (& maius inde pretium conſtat) ILLVSTRISSIMO AC REUERENDISSIMO DOMINO, D. ANDREA OLSZOWSKI Regni Poloniarum PROCANCELLARIO. Communi ILLVSTRISSIMVS fruitur aurâ, ſed famâ præcipuâ: mortale animo ſuo præcelſo & ad ſublimia deſtinato, ſtruxit natura domicilium; ſed non morientes vnquam laudes, victuros in æuum, proſperrimi NOMINIS OLSZOVIANI cultores, non modica liberalitas prouidit; eò decentiùs, quòd hodie hac ſcilicet literarum tempeſtate, non vnus Pætus Thraſea, plures Priſci Heluidij, ob ſolam eruditionem Academicam, cultumq; ſtudijs in Regno Sarmatico libèrrimis impenſum liberiùs, ad ſeruitutem & iugum ſolis barbaricis imponendum ceruicibus indignè trahantur, omneſq; verioris & purioris Sapientiæ Profeſ-

fessores, vel solo nomine infames, omnis bona ars ignorantiæ, omne clarissimum ingenium innocuè dicitur, publicaturq; peruersum. Infandum! quod tam sæua & infesta insontibus & egregijs artibus obuenerunt tempora, quæ libertatem nitoremq; Musarum, eò præstantiorem, quò antiquiorem, & conscientiam literatorum tollere abolereq; toto nisu, toto conatu, omni studio & viribus adnituntur, obruto scilicet virtutum non personatarum, & scientiæ non vulgi sensibus accommodæ, viuo fonte: ne forte, quidpiam honesti, aut recti, liberi, aut Regno commodi, in Regno liberrimo amplius occurrat. In hac dolenda Studiorum honestissimorum iniuria, in hac Reipub: literariæ vix imperio Domitiani auditâ vicissitudine affulsisti ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME PRÆSVL, quem iucunda recordatione & grato animo refero, optimè strenuus & maximè munificus, Iagelloniarum literarum vindex, planeq; solus Assertor, verè à Superis nostra ad solatia in acerrimo luctu, ad opem in miserando conflictu immissus, vt firmiter iam à TE erecti & recreati credamus, ægrè iam nobis ipsis præ hac, quâ nos cumulas felicitate constantes. Nunc demum cum TVA ita prædicanda, vt rara vbiuis terrarum largitione, & memorando amore in Academica studia, redit nobis pristino Iagelloniæ Palladis cultui addictus deuotusq; animus, nec spem modò ac votum redituræ, comite libertate securitatis, Alma Vniuersitas Nostra; verùm ipsius voti fiduciam ac robur assumit: ascendente videlicet ad supernum cum triumpho Capitoliũ, Supremo Eerebi victore DEO HOMINE, TVA ILLVSTRISSIME ANTISTES Gentilitia Crux victoriæ triumphiq; indubitatum Symbolum, & tessera, certo afflictis, & planè prostratis rebus nostris, omine affulget, e-

xoriturq; docendo æquisſimam cauſam noſtram, methodo Conſtantini Magni, in hoc ſigno victuram, in hoc triumphos acturam. Equidem non pertimeſcemus ampliùs inuidentium aculeos, inſectantium ſpinas, Gentilitiæ quippe FALCES TVÆ in Cæleſti pæne non fabuloſi Vulcani officina fabricatæ, ad reſecāda quævis, bono publico imminentia aduerſa, vniuerſas Muſis Iagellonijs impendētes iniurias, machinationes, ſuccident, proſternent, flammæq; expiandas dabunt, non minùs amœno quàm optato; & fortunato Muſis tempore verno, quo omnem in Parnaſſo Academico naſci, pullulare, in altum ſurgere, atq; matureſcere auguſtam felicitatem facient, nouo & ſucceſuræ ætati, laudabiliter imitando exemplo. Non diſpar ſanè beatitudo Almæ Matri Noſtræ Academiæ atq; Matri omnium Ciuium Patriæ, á TVIS GENTILITIIS Armis obuenit. Vtriq; ceſpitanti ſalutarem porrigis dexteram, vtramq; erigis & firmas ſapientiſsimè, ſolaris efficaciſsimè, recreas ſaluberrimè: ab vtraq; non leue præmium laudis, atq; æternæ gratitudinis, grato de pectore accepturus. Diuus ipſe IAGELLO, nunquam ſine profundo ſuſpirio, & in explicabili iucunditate noſtrorum animorum memorandus, horum ſtudiorum in Orbe Sarmatico Author, Magnæ TVÆ fortunæ adijciet maiorem, quanquam præ manibus iam tenes Maximam, vel ſolo eiuſdem Diui Regis omine. Cum etenim ſceptra Academica, raro inter paucos fauore fulcias, & integro ſimul decori Diadematis Regni, morem gerens Argi vigilantiſsimi, impenſiùs ſtudeas; omnem idcirco à Superûm Repub: mereris proſperitatem, omnem ab eis in TVAS partes vocas immortalitatem, ac eò firmiùs, quò promptiùs in Rem literariam non deſinis exercere liberalitatem, quæ etiam ſola in-

tan-

tanta TVARVM virtutum frequentia, ad summam TVIS Magnis Conatibus sufficeret felicitatem, nisi ad augusta Natus, etiam à censu virtutum malis proscribere angustiam. Quamdiu enim literæ viuent, viuent autem æternùm, tam diu liberale NOMEN OLSZOVIANVM durabit per æuum, nec intra solius Poloniæ limites consistendo, verùm vltra Tiberim Romanũ, vltra Baleares insulas, vltra Gangẽ Indorũ, ad quasvis gẽtes longinquas moribus, locis, & vndis discretas, gloriosè penetrando, TVÆQVE Mẽtis præcelsæ amplitudinem extollendo, vnà cum insigni Suada TVA cuius particulam, seu fragmentum suauiter hic insero, vt ex vngue leo, ex police gigas noscatur: quanquam Styli TVI, & de TE magnitudine complebis nationes, & ætates non modicas. *Præstantium & Magnis rebus inclytorum Regum hæc cura, conatusq; semper fuit, vt literas & literatos impensè amare, complecti beneuolentia, ac velut in sinu fouere, pro Magnifico & Regio censerent. Neq; frustra: nam quidquid in excelsa fortuna, & Regia purpura dignitatis splendet, nisi beneficio eruditorum ad famam orbis, ad posterorum memoriam prouehatur, ætatem non feret, citò & facilè vanescit. Amplum & illustre decus vestrum est, Academici Viri, quòd cura, tutelaq; Regum semper fueritis, vestram primæuam fundationem, maiora incrementa, felicem tot sæculis statum, Regiæ Gratiæ, & Clementiæ debeatis. Ne longiùs excurrat sermo, hæc literarij Regni Sceptra, hos eruditionis Colossos, immortalitatis Pyramides, Studiorum Herculeas columnas, bicipitis Parnassi vertices, animantes Mercurii Virgulas, à Paterno Maternoq; eius Maiestatis sanguine, Academia Cracouiensis & Zamoscensis donum accepistis. Hoc sibi velut hæreditate relictum putat Sacra Regia Maiestas, vt Academiam Cracouiensem vnicam Regni Scholam, & non vano Sorbonico è Regum Galliæ titulis deriuato elogio, Primogenitam Regum Poloniæ, dignissimam Regiâ curâ, & in afflicto statu, valida protectione existimet. Commodabit Gentilitia eius* Maiestatis Luna *peruigilibus studiis, & lucubrationibus vestris inexstinctum fulgorem. Regia Stella Musis Vestris amica; nunquam imminuta claritate splendebit.* Exit pro pignore, *& velut fædere, non mutabilis, sed in plenitudine fulgentis Lunæ, non errantis, sed fixæ Stellæ, certi videlicet, & constantis erga Academicam affectùs Regia dex-*

tera, quam vobis in osculum pacis benignissimè offert Sacra Regia Maiestas. Ita Tv Illvstrissime suauiter, ita nervosè, ita prudenter, vt pote Oraculum Polonæ Maiestatis, respõsum dedisti salutanti, Sacram Regiam Maiestatem, Academiæ Nostræ: imò Tvæ, quam affectu verè Paterno in Tvvm pectus, omnis sapientiæ Sacrarium, induxisti pridem, inductam foues peramanter, protegis fortiter, vt hac non communi opera, sublimem animum à communi vindices corruptione, cum Tvam circumspectam semper non fugiat cõscĩetiam, durabile non esse, quidquid Musarum contemptu nititur provehi ad perennitatem. Magnifica, cæloq; minantia æquali arte ac sumptu, exstruit quispiam per studiũ Neronis, palatia? aliquot tantum sæculorum molitur opus, imò si ferro aut Vulcano libuerit, vna die corruet, quod multis annis plurimæ struxêre manus. En vbi stetere Memphiticæ Pyramides, vbi stupenda Semiramidis mænia, vbi thermæ Neronianæ, vbi demum superbum Ilium: ibi ingentes syluæ effusis arboribus, horridam fouent solitudinem, ibi flauæ fluctuant aristæ, ibi fæda spectatur vligo. Fortè Pelopidæ genio meditatur aliquis castra? & solitarium Martem absq; Socia Pallade, authorẽ famæ perpetuæ solicitè sibi conciliat? Credat Politico, inania hæc & vento instabiliora proponi cogitarique. Gotthorum Vandalorumq; tot fortia, tot illustria facta, in tenebris latent, quòd sibi literæ lumen non accendissent; Vix aliqua, bonâ fide, ab hostibus celebrata ad nostram venerunt notitiam. Opibus affluere, vt Crassus, illicitas rapere voluptates, vt Iulius Valens cum desidibus animis satagit quisquam? vt vel ab ipso Plutone, non per Apollinem ad non labilem posterorum prouehatur memoriam? Scelestus est, nec infamiâ carebit, ad excelsa volabit

minime, turpi depreſsus, pondere. Inertis ore vulgi linguâq; procaci aſſentātium, proprio honori & commodo intentorum, fidit ille ſe in omne æuum iturum? deſipit, & maximè deſipit! Fallax vulgus & peſsima adulantium turba, vix inter hodiernos ambitionem eius promulgabit. Sola porro eruditorū ſcripta, tum ad poſteros, tū ad ſuperſtites, ſeu famā ſeu infamiā expediunt; non tā proinde contumelia linguæ etiā ſolutiſsimæ, quàm cenſura Styli quamvis arctiſsimi, Lycinijs hoc eſt Studiorum Maſtigibus, Oſoribus, Momis, Zoilis timēda eſt, nec maius Muſarum Fautoribus vouendum, quàm perennis gloria, in faſtos æternitatis per doctam pennam illata, Stylo gratarum Camænarum, æuo durabili impreſſa. Sed mihi de immortali tractu agenti, ratio temporis protracti habenda, aperiendum qantocyus Academicæ Sapientiæ Palatium, & cum æſtuans illius alumnorum amor, deſideriumq; plura de literaria munificentia afferri in medium non ſinit, multum de hac duce ad immortalitatem, magnarum animarum, ſæculis non diebus concedendum: breui enim morâ circumſcribi omnino recuſat, cui ipſamet longa æternitas par & ſufficiens eſt. Macedonico Oratori de dilecto apud Alexandrum Epheſtione nunquam ſatis; equidem de Magnifica in Vniuerſitatem Noſtram Olszoviana liberalitate nunquam nimis; ita enim hoc vnico veluti giganteo paſsu ad ſummum deuenit vt anteacta & profuſa cæterorum Illuſtrium Heroum munifica opera ſi non æquârit, certe ſuperârit. Ergo Generoſi Iuuenes bonarum Artium ingenui Cultores, largam in Nos Olszovianam dexteram, ſoli æternitati deſponſatam exoſculemur promptiùs, colamus profundiùs, vt pote liberalem infiniti ſcientiarum

Iagelloniarum, thesauri dispensatricem. Extollite impensiùs, Celebrate vehementiùs Lechici Adolescentes ILLVSTRISSIMI ANTISTITIS perfectã in largiendo scientiam, exinde maximè, quòd sua beneficia apud gratam semper & memorem, totiq; Regno non fucatè & sub specie tantùm commodam Academiam Nostrã collocauerit: quod hoc rectissimum minimèq; deuium iter, suo Maximo Nomini ad perpetuam memoriam delegerit maturè. Largitio vtiq; temerè & intempestiuè exercita, accipienti vtilis, danti ingloria euenit: pessimè qnandoquidem dat, qui non in Patriæ emolumentum suos ingratis largitur thesauros, iis præcipuè apud quos tam diu grata beneficia, quàm diu recentia, instar florum, & qui tum Mecænates celebrant, statuas & colossos eorundem honori erigunt, cum superstites maiora dandi spem auaris faciunt: at vbi munificas manus, tenaces compresserint Parcæ, exstinguitur illico suffocatus inter assentantiũ turbam, personatus affectus, vnam literam Memoriæ Benefactorũ negans post fata, qui prõptus erat ad ponendas Pyramides in vita. Odi ego semper hoc ingratum vulgus, nec de eo plura, ne flagrantia Vestra Eximij Iuuenes morer studia. Adeste iam, adeste, præstantissima Sarmaticæ pubis Magnæ spei agmina, ad fontem Musarum accedite! En Incarnatã Sapientiã Duce, Deo Homine, Vobis præeo. Sequimini alacres, Magnorũ Heroum, Magni Filii, tantarum Gratiarum ex ILLVSTRISSIMA OLSZOVIANA DOMO, in Parnassũ Academicũ descẽdẽtium Memores & grati perpetuò cultores.

D I X I.